



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio Cl. Inquiruntur quædam circa peccatum commiſſionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



SECTIO SEXTA.

Conceptus mali ulterius declaratur.

I. Privatio, non subiecto tantum, sed etiam rei qua privatur est mala.

EX his inferitur, privationem alicujus rei esse malam, non tantum subiecto, ut negatio caloris est mala igni, sed etiam rei qua privat. Quare (licet questio forte sit de modo loquendi) sicut in materia de actibus humanis dixi destructionem rei esse illi violentam, ita & modò puto posse eadem dici malam; sicut enim esse est rei bonum, ita non esse est malum. Deinde, illa quæ disponunt ad destructionem rei, quò immediatius ad eam disponunt, censentur pejora, quod arguit ipsam destructionem esse malum Physicè maximum.

II. Quaratione malum debet esse in bono, tanquam in subiecto.

Verum est quidem, ut hæc omnia alicui propriè competant debere illam extitisse, quo sensu dicitur malum debere esse in bono tanquam in subiecto: quod licet de malo partiali, ut plurimum intelligatur, potest tamen & de malo subiectum ipsum bonum tollente intelligi, in quo in instanti destructionis desitio est denominativè, quatenus scilicet denominat rem illam desinentem: sicut namque extitisse sufficit ad alias denominationes in instanti desitionis, injuria scilicet & similitum; unde si Angelus alium Angelum aut hominem destruere posset in instanti, nullus opinor negabit quin ei illo instanti faceret injuriam, licet in illo non existat, sed ad hoc sufficit immediatè antè extitisse, ita eodem modo loqui in præsentì possumus de malo? Et hoc sensu intelligendum existimo Sanctum Augustinum citatum, & Sanctum Thomam q. 5. de potentia art. 3. dum nonnulla his contraria subinde insinuat, de quare tamen jam plura subijciam.

Ad varias denominationes sufficit rem immediate extitisse.

III. Mens S. Thomæ.

Circa mentem itaque sancti Thomæ nihil certi videtur statui posse; ita enim scripsit, inquit P. Gra-

nado hic, tract. 1. Disp. 1. sect. 1. num. 6. ut credi possit eum utramque sententiam esse sententiam. Unde Vasquez ambiguum ait hac in parte esse sancti Doctoris mentem: hic enim quæst. 18. art. 1. & quæst. 71. art. 6. quæst. item 73. art. 3. ad secundam, & primâ parte quæst. 18. art. 4. & alibi sæpè insinuare videtur, formale seu malitiam peccati consistere in privatione boni; item malum esse diminutionem boni, & alia hujusmodi. Respondetur tamen cum Cajetano hic, quæst. 18. art. 6. & q. 71. art. 6. S. Thomam sæpè favere nostræ sententiæ, tum quia in 2. d. 34. quæst. unica, art. 2. docet ex Aristotele cap. de oppositis, malum opponi bono contrariè, tum quia 3. contra Gentes, cap. 9. ait bonum & malum commissionis contrahi per differentias positivas, & alia hujusmodi in S. Thoma frequenter reperiuntur.

ma circa malitiam formalem peccati commissionis est dubia.

Docet S. Thomam malum opponi bono contrariè.

Ad illa quæ ex ipso obijciuntur, Respondetur eum per privationem in qua statuit malitiam peccati, subinde intelligere non privationem rectitudinis in actu, sed privationem gratiæ habitualis, in qua perfici & consummari ait rationem peccati. Interdum verò per privationem intelligit recessum positivum à Deo, & boni desertionem, quæ est moraliter privatio. Pro hæc explicatione facit quod ex ipso paulò superius attulimus, bonum scilicet & malum opponi contrariè. Imò secundum eundem sanctum Thomam ex Aristotele, è duobus contrariis, id quod altero est imperfectius, comparatur ad oppositum, sicut privatio ad habitum: unde nigredinem vocat privationem albedinis, frigus caloris, malum boni.

IV.

Variis modis explicari potest S. Thomam, dum malitiam peccati sic esse ait in privatione.

Alia hic obijci solent, ut non esse possibilem puram omissionem, & consequenter quoties quis peccat, posse eum semper & debere clicere actum contrarium: item peccatum commissionis & omissionis convenire in unâ aliquâ ratione peccati, &c. quæ commodius solventur infra, cum de peccato omissionis.

V.

Quadam hic obijciuntur, quæ spectant ad puram omissionem.

DISPUTATIO CI.

Inquiruntur quadam circa peccatum commissionis.

SECTIO PRIMA.

Vtrum peccatum ideo sit malum quia contra Legem, seu quia prohibitum.

I. Certum est multa esse mala, & peccata quia sunt prohibita.

ULTA ideo esse peccata quia prohibentur, nemini dubium esse potest, illa nimirum, quæ ex se sunt indifferentia, ac proinde ideo solum sunt illicita, quia lex aliqua vel præceptum ea fieri vetat. Sic Judæis olim vetitum erat carnem porcinam comedere: sic modò in Ecclesiâ prohibitum est diebus veneris & sabbati vesci carnibus, quod proinde sine dispensatione aut legitimâ causâ facere est peccatum. Querimus itaque in præsentì utrum omnia omnino peccata, ideo peccata sint, quia hujusmodi lege prohibita, ita ut si lex non esset, similiter non esset malum morale, nec peccatum.

Status præsentis questionis.

Ratio dubitandi est; hic enim loquendi modus Sanctis Patribus frequens est; sic enim Sanctus Augustinus contra Faustum lib. 22. cap. 27. ait peccatum esse dictum, factum vel concupitum contra legem Dei: item de peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 16. Neque peccatum erit, inquit, si non divinitus subeatur ut non sit. Idem insinuare videtur sacra Scriptura: sic enim ad Ro. 4. v. 15. dicitur: Vbi non est lex, ibi nec pravariatio, ergo de essentia omnis peccati videtur, ut sit contra legem. Quare Joannis primæ, cap. 3. v. 4. peccatum vocatur iniquitas, græcè ανομία quod idem sonat, ac deviatio à lege.

II.

Afferere videntur Patres peccata omnia ideo esse talia quia prohibita.

Propter hæc asserunt nonnulli peccatum omnino ideo esse malum quia à Deo est prohibitum: ita Coroll. 3. p. tract. de vitâ spirituali lect. 1. coroll. 10. S. Bonaventura in 2. dist. 34. dub. 4. Okam in 2. Quodl. 19. ad dubium 3. & 4. & Victoria, & alii. Sed contrâ: quadam enim sunt peccata adeo mala, & ex se & objecto turpia, qualia sunt odium Dei, blasphemia, & alia hujus-

III.

Prima sententia est omnino peccatum ideo esse malum, quia prohibitum.



*Actus variis sunt peccamina nisi independentes ab omni prohibitione.*

**IV.**  
*Secunda sententia ait peccata esse mala, quia sunt contra Legem iudicantem.*

*Deus iudicat aliquid esse malum, quia est malum.*

*Res prius sunt mala, quam Deus sibi de eis displicent.*

**V.**  
*Peccata omnia non sunt mala quia prohibita.*

**VI.**  
*Omnia peccata sunt mala rationi difformia.*

**VII.**  
*Dictamen recta rationis non est proprie lex.*

**VIII.**  
*Odium Dei ex se, & independentes ab omni prohibitionem est malum.*

modi, ut non possint non esse mala, sicque independentes, imò antecedenter ad omnem prohibitionem: quis enim non videt, æquè malum, ac Deo injuriosum esse eum odisse, atque ejus legem contemnere, ergo malitia odii Dei non dependet à prohibitionem illius actus, sed ante omnem prohibitionem & legem hic actus est malus: quæ ratio urget, etiam si quis hunc & similes actus dicat necessariò prohiberi à Deo, de quo postea.

Lorca ergo hic, d. 10. Salas 1. 2. q. 18. tract. 7. d. 3. sect. 1. & alii nonnulli dicunt, omne peccatum esse malum quia prohibitum, non actu illo voluntatis divinæ, de qua prior sententia, sed lege, ut aiunt, iudicante, seu quia est contra legem æternam, actum scilicet intellectus divini, necessariò in eo existentem, quo iudicat hæc & hujusmodi esse mala. Sed contra: non enim ideo peccatum, odium Dei exempli gratiâ, est malum quia cognoscitur, seu iudicatur à Deo esse malum, sed e contra, ideo iudicatur esse malum, quia est malum. Deinde lex æterna juxta S. Augustinum contra Faustum supra, *Est ratio vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens; perturbari vetans*, ergo hujusmodi actus necessarius intellectus divini non est lex propriè dicta, sed lex est actus voluntatis, quo liberè aliquid præcipit aut prohibet. Eodem modo impugnatur id quod dicunt alii, ideo scilicet peccatum esse malum, quia Deus habet voluntatem, qua sibi de objecto illo displicet; prius enim est malum, quam Deus illud averfetur: unde etiam si homo tendat solum in illud objectum, & non prout displicet Deo, adhuc actus erit malus. Deinde quis non videt longè gravius esse & rectæ rationi magis dissonum, Deum odisse, quam aliquid facere, quod ei novit displicere.

Breviter itaque existimo: licet omnia mala aliquo modo sint contra legem, quia scilicet sunt contra dictamen rectæ rationis, non tamen propterea propriè dici possunt esse contra legem, nec mala semper quia prohibita: ita Scotus in 34. q. 2. art. 2. Durandus in 1. dist. 47. q. 4. Suarez lib. 2. de legibus cap. 6. num. 11. Valquez hic d. 97. cap. 3. Lessius de perfectionibus divinis cap. 13. num. 186. Tannerus disp. 4. q. 1. dub. 4. & alii passim.

Prima Conclusionis pars probatur: per conformitatem siquidem aut difformitatem ad rectam rationem iudicant omnes quid bonum sit, quid malum, sicut quodammodo per legem, de qua proinde locutus videtur Apostolus ad Rom. 2. v. 4. dum dicit. *Cum enim gentes qua legem non habent, naturaliter ea qua legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex: id est ipsorum natura, seu ratio iis est lex, non scripta, sed nata, vel à naturâ omnibus insita, & inscripta.*

Secunda etiam pars probatur: dictamen siquidem rectæ rationis non est propriè lex, cum Deus hoc perfectissimè habeat, quem tamen S. Thomas hic q. 93. art. 4. & alii affirmant legem propriè dictam non habere.

Tertia tandem pars, quòd scilicet omnia mala non ideo mala sunt quia prohibita: Probatur primò: jam enim ostendimus odium Dei ex se, & independentes ab omni prohibitionem & lege esse malum, & rationi difforme, imò multò magis, quam sit legi à Deo lata non obedire. Secundò: nam S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. 3. approbat dictum illud commune, aliqua scilicet mala esse quia prohibita, alia prohibita quia mala. Tandem sicut ad hoc ut actus aliquis sit bonus,

nullo alio est opus, quam ut feratur in objectum bonum, propositum ut bonum, absque ullâ notitiâ legis æternæ, sive consulentis, sive approbantis; ita & ut actus sit malus, sufficit, quòd feratur in objectum malum sine ullâ legis vel iudicantis vel prohibentis cognitione.

Dices: peccare in Physicis est deviare à regulâ: sic artifex peccat deviano à regulis artis, ergo & peccare in moralibus erit deviare à regulis moris. Respondetur peccare esse deviare à regulâ, non formali, sed fundamentali, seu facere id, quod est materialiter contra legem, & regulas, vel artis vel moris, seu quod per hujusmodi regulas argui & reprobari potest.

Per hæc patet ad testimonia supra num. 2. allata: Apostolus enim vel loquitur de peculiari illâ transgressione, quæ proveniebat Judæis ex cognitione speciali legis scriptæ, à Deo ipsis immediate traditæ, ratione cuius, peculiaris malitia, tum ob perfectiorem cognitionem, tum ob ingratitude in actus eorum peccaminosos refundebatur. Vel loquitur de lege improprie dictâ seu dictamine rectæ rationis, de quo supra. Non tamen res sunt malæ, quia recta ratio hoc dicit, sed ideo hoc dicit ratio quia sunt malæ, ut ostensum est. Tertio intelligi potest de lege fundamentali, seu ipsâ naturâ rationali, in ordine ad quam in materiâ de actibus humanis dixi defendendam esse bonitatem & malitiam actuum moralium. Quarto forte loquitur de lege æternâ, seu iudicante, quæ tamen non est ratio à priori malitiæ, sed à posteriori solum, vel concomitanter, & tanquam à regulâ vel indicio. Quibus etiam de causis peccatum dicitur *avocata*. Et eodem modo explicari potest Sanctus Augustinus & alii Patres, dum peccatum dicunt esse contra Legem.

Ut verò in re hac, per se obscurâ clariùs procedamus variæ legis acceptiones semper præ oculis habendæ. Primò itaque lex sumitur pro lege æternâ, seu iudicante ut vocant, quæ est actus necessarius divini intellectus, quo ab æterno iudicat vel indicat hoc esse bonum & amplectendum, illud malum & fugiendum. Secundò pro ipsâ naturâ rationali quæ est quædam regula in ordine ad quam dignoscimus quid bonum sit, quid malum, secundum convenientiam scilicet vel disconvenientiam, quam res aliqua, cum tali naturâ habet. Hæc tamen solum vocatur lex seu regula fundamentalis. Tertio lex pro ipsis rebus præceptis, vel prohibitis accipitur, sicut fides subinde pro rebus creditis. Quarto pro dictamine rectæ rationis, prout hic & nunc iudicat quid amplectendum sit, quid fugiendum.

Quintò denique & propriissimè sumitur lex pro liberâ voluntate superioris, legitime intimatâ, qualis fuit lex scripta, Judæis tradita, & aliæ hujusmodi. De hac itaque lege seu voluntate in præsentem est sermo: quam voluntatem et si secundum communem Theologorum sententiam, de facto Deus hominibus manifestaverit, vel initio primis parentibus, vel per revelationes aut effectus quosdam externos, per quos hominibus ostendit se esse, & remuneratorem esse, tam bonorum quam malorum, quòd est habere voluntatem, quâ mala prohibet, & non vult ea fieri, vel tandem hanc voluntatem unicuique intimat per lumen ipsum rationis hoc dictantis: esto inquam hæc ita sint, dicimus tamen non omnia ideo esse mala, quia Deus ea per hanc voluntatem prohibet, sed e contra in iis quæ sunt intrinsecè mala, ideo ea Deus prohibet, quia sunt mala.

*Idem de aliis multis peccatis ostenditur.*

**IX.**  
*Peccare est deviare à regulâ, non formali, sed fundamentali.*

**X.**  
*Quo sensu dicat Apostolus, ubi non est lex, nec præviticatio.*

*In ordine ad naturam rationalem desumitur actuum bonitatis & malitiam.*

**XI.**  
*Variæ Legis acceptiones.*

*Lex æterna.*

*Lex fundamentali.*

*Lex pro rebus prohibitis.*

*Lex pro dictamine rectæ rationis.*

**XII.**  
*Lex propriissima dicitur libera voluntas superioris, legitime intimata.*

*Deus hanc voluntatem hominibus variis modis intimat.*



SECTIO SECUNDA.

Virum peccatum sit contra naturam.

I. Quod supra diximus de habitu vitioso, hic dici debet de actu.

II. Peccatum variis nominibus est contra naturam.

III. An peccatum sit etiam contra inclinationem naturam.

Inclinatio naturae dicitur modis sumitur.

IV. Voluntas non potest concurrere ad peccandum, sed indifferens est.

V. Quamvis peccatum sit malum, potentia tamen ad peccandum est quid bonum.

VI. Inclinatio quam habet

**H**Æc quaestio in simili discussa est supra, Disp. 98. sect. 2. quæ enim illic de habitu vitioso dixi, eodem ferè modo applicari possunt peccato, par quippe quoad hoc videtur utriusque ratio. Quare difficultatem hanc brevissimè expediam; qui eam fufius tractatam videre cupit consulat locum proximè citatum.

Dico itaque breviter, peccatum esse contra naturam, illam enim fœdat ac dedecorat, privat etiam gratiâ, & aliis donis supernaturalibus, vel immediatè, ut peccatum mortale, vel mediatè & dispositivè, ut venialia. Præterea sicut actus studiosi reddunt homines laude dignos & præmio, ita peccatum vituperio & pœnâ, ergo est contra, seu disconveniens natura.

Quæritur ulterius, utrum non solum sit contra naturam, sed etiam contra inclinationem naturam. Lis hæc esse potest de nomine; si enim per inclinationem & appetitum, non intelligat quis aliud, quàm potentiam vel relationem etiam transcendentalem ad peccatum possibile, paucissimi negant naturam rationalem, utpote principium & effectivum & receptivum peccati, habere etiam inclinationem ad peccatum, & consequenter illud non esse hoc sensu contra, sed juxta inclinationem naturæ rationalis. Quia tamen plerumque per inclinationem & appetitum intelligunt omnes potentiam innatam, non quamcumque, sed ad bonum, seu propensionem ad perfectionem propriam, peccatum autem ut ostensum est, non sit perfectio, vel bonum naturæ rationalis, sed malum, consequenter potentia ad illud non est appetitus nec inclinatio, sed mera potentia: ita Vasquez d. 90. Tannerus & alii.

Dices primò: voluntas ut sit potentia apta ad peccandum, debet esse libera, ergo in actu primo potens ad utramque partem contradictionis, ergo petit concursum ad peccandum, ergo videtur habere propensionem innatam ad ipsum peccatum. Respondetur distinguendo penultimum consequens: petit concursum determinatum ad peccandum, nego consequentiam; indifferentem ad peccatum & actum contrarium, vel negationem peccati, concedo; hoc autem non est habere propensionem vel appetitum innatum ad peccatum, sed solum ad potentiam proximam, qua constituitur apta ad exercendam libertatem.

Dices secundò: hoc etiam videri inconveniens, & contra perfectionem naturæ, ergo non deberet quis ad hoc habere propensionem, sed potiùs ad contrarium. Respondetur, licet peccatum ipsum sit malum simpliciter, potentiam tamen ad peccandum non esse, sed bonum; ipso facto enim quòd sit potentia ad peccatum, est per se loquendo potentia ad bene agendum, sicquæ est radix meriti, quod est maximum homini bonum; magna enim laus est homini non peccasse, cum peccare potuisset, præsertim si acres ad hoc vel à dæmone, vel aliunde subditos sibi stimulos ac faces habuisset.

Dices tertio: dari naturaliter, non in appetitu tantum motus concupiscentiæ inclinantes ad pec-

catum, sed etiam subinde in voluntate motus indeliberatos, quos primò primos nuncupant, desperationis scilicet, blasphemiarum, & similes, inclinantes ad peccatum, cum ergo natura ad hos habeat inclinationem, habet consequenter inclinationem saltem mediatam ad peccatum. Respondetur hos motus nec esse peccata nec inclinationes innatas ad peccata, sed tantum elicitas, unde non sequitur voluntatem licet habeat inclinationem innatam ad hos motus, habere illam ad peccatum, præsertim cum hi motus non sint formales inclinationes ad peccatum, quæ tale formaliter, sed solum materialiter, nempe sub ratione boni sensibilis. Imò nec propriè dici potest habere hominem à naturâ appetitum etiam elicicum ad peccandum formaliter, seu ad Deum offendendum, hic enim affectus, rarè & non nisi in perditissimis subinde hominibus reperitur, nec naturæ ascribi potest, cui id solum tribuitur, quod à naturâ rationali universim nascitur. Plura hac de re vide supra, Disp. 98. sect. 2.

Dices quartò: aliquando voluntatem petere determinatè concursum ad peccandum, tunc scilicet quando elicita erat actum peccaminosum, unde si ei in illis circumstantiis negaretur concursus ad peccandum, fieret ei violentia, ergo saltem aliquando habet determinatè inclinationem ad peccandum. Respondetur distinguendo consequens: habet inclinationem antecedenter & simpliciter, nego consequentiam: secundum quid & ex suppositione quod sit ejusmodi actum elicita, transeat; hoc autem non probat peccatum non esse absolute contra naturam secundum se sumptam. Quod de actu peccati diximus, suo etiam modo dicendum de habitu vitioso, seu determinatè ad actum peccati inclinante, ut supra fusè est declaratum.

Multa hic inquiri solent circa naturam virtutum & vitiorum, ut quomodo vitium contrarietur virtuti, utrum actus virtutis sit in morali astimatione melior habitu vel infuso vel acquisito, & actus peccati pejor habitu vitioso, & alia id genus, quæ tamen supra sunt discussa Disp. 98. Solum noto, habitum virtutis infusa stare in eodem subiecto posse simul cum habitu vitii; cum enim habitus infusi non dent facile posse, sed tantum simpliciter, habitus autem naturales dent facilitatem, nulla est repugnantia, ut simul in eodem subiecto consistant; facilitas enim ad unum actum non excludit potentiam physicam ad contrarium, cum homines qui intensos habent habitus vel virtutum acquisitarum vel vitiorum, simpliciter possint nec his obstantibus, nec illis peccare, & exercere virtutes. Unde in recenter vel ad fidem conversis, vel per Sacramentum poenitentia, aut per actum contritionis gratiam & consequenter habitus infusos eadem cum gratiâ proportionem recipientibus, tanta manet propensio ad peccata, quibus erant asueti ac antea: & contrarium in iis contingeret, qui post vitam diu in virtutum exercitatione traductam, tandem in peccatum aliquod lethale prolaberentur, de quo etiam supra D. 99. sect. 2. num. nono.

Disputant hic aliqui utrum actus malus cum invincibili Dei ignorantia elicitus sit peccatum mortale: de quo tamen commodiùs infra ubi de peccato agemus prout peculiariter respicit Deum.

Voluntas ad motus primò primos non arguit eam habere inclinationem ad peccatum.

Non nisi in perditissimis reperitur affectus Deum formaliter offendendi.

VII. Voluntas antecedenter & simpliciter nunquam petit concursum determinatè ad peccandum, sed tantum secundum quid.

VIII. Habitus virtutis infusa stare in eodem subiecto simul potest cum habitu vitii.

In recenter conversis tanta manet propensio ad peccandum, quantum antea habebant.

IX. De peccato cum invincibili Dei ignorantia dicitur infra.